

Dissertatio inauguralis de leucorrhoea / [Hugo James].

Contributors

James, Hugo.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1772.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nsec2vht>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(P)

DISSERTATIO INAUGURALIS

20113/p

DE

LEUCORRHOEA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subijcit

HUGO JAMES,

BRITANNUS,

Ad diem 12. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXII.

322291



Fratri suo optimo,

J O H A N N I J A M E S,

ARMIGERO;

Nec non,

Amico suo dilectissimo,

GULIELMO MAGROTIO-BALL;

Has qualescunque Paginas

Lubentissime offert

A U C T O R.

To
Mr Ligertwood
from his Friend and
Chumble Servant
The Author.

DISSERTATIO INAUGURALIS

D E

LEUCORRHOEA.

QUANDOQUIDEM malum hocce funestum, de quo nunc tractandum est, sexum sequiorem, dulciorem, et urbanitate ad amussim limatam, praesertim adfligit, unde fere semper accidit ut steriles evadant; haud dubium est quin omnibus, quos sentiendi facultas tenerior premit, causam, ejusdemque curationem, ut investigemus, totis viribus tentandum esse adparebit.

HISCE itaque tantum praemissis, mens ut definitionem in medium proxime proferamus fert. In hac tamen brevi dissertatiuncula adprimum notandum est, quod, de specie ab vasculis uterinis suborta, ubi ne ulla quidem affectio topica, sicuti schirrus, cancer, &c. adsit, verba facere volumus.

A

DE-

2 DE LEUCORRHOEA.

DEFINITIONEM autem, quae hancce ab caeteris leucorrhoeae speciebus perfectius distinguere possit, vix forsitan penes nos est nominare; et exinde succedentem manu tantum cum tremula offerimus.

SIGNA tamen, quae ut diversitates omnes inter se rite dignoscantur efficiunt, summa cum cautela postea adnotare conabimur.

DEFINITIO.

INORDINATUM humoris stillicidium, minime contagiosum, vix unquam sanguinolentum, e sinu muliebri, saepe cum dorso, lumborum, ventrisque doloribus.

HISTORIA MORBI.

MORBUS iste, apud auctores, Fluor Albus ut plurimum cognominatur; quod forsitan nomen ab evacuationis colore, nonnunquam albido, ei imponebatur. Sed, ne omnino
quidem

quidem idoneum videtur; quoniam, in diversis morbi stadiis, humor ejectus colores etiam assumat diversos.

AD primum ejus adortum, aeger^{2a}, ni ab causa quadam severissima induceretur, quam paululum dolore exercetur: Fluxus enim mitis, periculo vacuus, immo etiam multis in exemplis saluberrimus, elabitur. Porro, Hoff. Illust. eundem, cum faeminis nodo connubiali conjunctis, tum virginibus, menses per plures, immo etiam annos nonnunquam, sine ullo incommodo permanfisse asserit.

IN principio, materies albore ut plurimum pallescit; quae tamen, morbo manente, in colorem subviridem, seu flavum, gradatim transmutatur. Haec unaquasque varietates Platerus quam accuratissime adnotavit*. ‘ In
 ‘ hoc fluore (inquit) humor interdum serofus,
 ‘ copiose plerumque, nunc limpidus sine
 ‘ morfu, nunc acris vel falsus, alias flaves-
 ‘ cens, virescens, aut nigricans nonnihil,
 ‘ aliquando et faniosus, interdum inodorus,
 ‘ alias

* Plat. Prax. tom. 3. pag. 670.

‘ alias foetidus, ei copulatur. Huic pituito-
 ‘ fus etiam miscetur, aliquantum glutinosus,
 ‘ inodorus, et frigidus, pauciore, vel eadem
 ‘ aut etiam majore, quam ferum quanti-
 ‘ tate.’ Etiamfi color, in specie nobis nunc
 tractanda, minus frequenter ex altero in ali-
 um, quam in istis, originem suam ex fungo-
 sis, ulceribus, schirris, tumoribusque trahen-
 tibus, intra uteri cavitatem sive partes ei ad-
 jacentes fitis, sese mutatum habet.

NIHILOMINUS, si malum per aliquod
 substiterit temporis, humor adeo tandem
 mordaciter corrodet, ut inflammationes do-
 lorificas atque excoriationes inducere note-
 tur.

LABIA pudendorum tumida fiunt; quod
 ardor urinae severissimus cito consequitur.
 Haud raro quoque papulae exiguae circa
 partes affectas adnascuntur, adeo ut aegrota
 sensum caloris ardentis interne percipiat;
 quae tandem, crudeliter saevientes, impedi-
 unt, ne in rebus ordinariis occupata sit. In
 nonnullis, materies odorem quam foetidum
 emittit;

emittit; unde, cum patientes ipsae, tum omnes quotquot iis inserviunt, putorem vix ac ne vix quidem tolerare queant. Saepissime pro obstaculo adfit, ne maritus atque marita mutuo sese amplectantur.

Ex mulieribus hocce morbo tentatis, plurimae, in mariti consortio, doloribus acutissimis excruciantur: Aliis vero, ne ullo quidem impedimento sit, quo minus ineatur. Sed ferme omnes pruritus sensationem circa pudendorum labia molestissimam experiuntur.

FLUORE albo vix ulla aetas degat immunis. Namque uxorem, virginem, atque viduam, aequo pede faeviter infestat, et nonnunquam etiam infantes. Tamen, pro maxima parte, circiter decimum tertium quartumve aetatis annum incipit. Quod vero ad terminum hujusce fluxus attinet, nulli pro certo limites praescribuntur; purgatione, enim, menstrua profluere cessante, minime quoque evanescit, sed saepe ad provectiorem aetatem protrahitur.

Ex

6 DE LEUCORRHOEA.

Ex omnibus fluori albo obnoxiiis, eas forsitan forma molliori, temperamento leucophlegmatico et laxo praeditas, praesertim contorquet. Attamen faeminas, dispositione plethorica ac haemorrhagica, una cum systemate laxo valdeque sensibili conjuncta, haud raro adoritur: Rarius vero tales quales vigore adfloreant. Omnium causarum, quae ab affectionibus hystericis inducendis haud abhorrent, longe fit frequentissima.

EVACUATIO sive regulariter perdurat, sive per intervalla revertitur. Saepe enim mutata, nonnunquam saepe adaugetur: Interum semper sibi constans, ne omnino quidem augetur. Augmentationes hae interdum periodo certa, alias vero haud omnino, regrediuntur: Quando inter periodos justas comprehenduntur, cum purgatione menstruali plerumque conveniunt; quae quandoque obstructa fit; interdum nimis copiose effunditur. In priori exemplo, fluor albus in loco alterius substituendus fit: Quando posterior magnopere

magnopere perpollet, saepius in humorem perfecte ferofum ultro sese recipit.

QUUM morbus aliquando temporis duraverit, naſus, fauces, atque oculi, ficci aridique fieri obſervantur.

ROLFINCCIUS multas mulieres affectibus propemodum memoratis laborantes cognoviſſe ait, quae fluore albo ſemper exercebantur. Stadio morbi poſteriori, ſeu quando materies larga in quantitate emittitur, atonia per totum ſyſtema, circaque lumbos dolor, penitus ſuccedunt. Facies pallore cito ſuffunditur. Oculi depreſſi in foveolas altius refugiunt. Hippocrates, lib. II. de morb. mul. ſect. 9. ſic verbum facit : ‘ Fluxus albus fluit velut alba
 ‘ aſini urina ; et in facie ſunt tumores albi, et
 ‘ partes ambae ſub oculis tument, et hydro-
 ‘ piformes ac non valde bona ſpecie praediti
 ‘ ſunt oculi ; et color corporis albidus, et ven-
 ‘ ter imus tumidus ; et in cruribus tumores
 ‘ laxi, et, ſi preſſeris digito, notae imprimun-
 ‘ tur, et ſtomachi morſus percipiunt, dum je-
 ‘ junae fuerint, vel etiam vomuerint velut
 ‘ acidam

‘ acidam aquam; et, si acclivem locum proce-
 ‘ dunt, anhelatio corripit, crurum perfrige-
 ‘ ratio, genuum impotentia, uterus praeter
 ‘ rationem aperitur, et ad osculum procidit
 ‘ gravis.’

CIBI desiderium, cum nausea, languore, viriumque coëtriciū impotentia, fugatur. Patiens tandem, moerore despondens, animo frangitur. Ulcera crurum nonnunquam oriuntur. Arteriae cum motu parvo, frequenti, atque tremulo, pulsant. Urina turbida et viscida fit; dum spirandi difficultas, cordisque palpitatio, adnascitur. Ecce, eheu! uteri prolapsus, atque cancer, tabes, seu hydrops, infelicem tragoediam fato inevitabili claudunt.

SEDES MORBI.

MAGNOPERE inter medicos disceptatum fuit, an fluor albus ex iisdem vasculis, quae ad purgationem menstruam accommodata sunt,

sunt, suboriretur. Quam plurimi glandulas vaginae mucosas ejusdem quasi fontem assignaverunt. Effusionem autem ex hisce lacunis leucorrhoeae, utpote similem, haud rarius obtinere, mihi in liquido apparet; e. g. dum foetus in utero gestatur. Quid autem ex hoc probatur? Nihil aliud forsitan quam quod stimulus in utero ad vaginam quodammodo propagari possit; unde ad secretionem copiosiore excitandam pollet. Minime ex certo obstat, quo minus vascula uteri menstrualia leucorrhoeae saepissime et magis generaliter sedem quoque praebeant. Quod ex hisce forsitan argumentis praesertim colligatur.

Imo, QUIA hicce morbus, ut mensium emissionem ullo modo impeditam suppeditat, frequenter valet.

2do, QUIPPE quod iste fluxus, inter mulieres quae certis circuitibus gubernantur, paulo ante sanguinis rubri eruptionem incipit, et post ejusdem cessationem remanet.

3tio, QUIA, multis in casibus, fluor albus re vera purissimus effusioni lochiorum nimis

B

copiosae,

copiosae, vel nimis longe duranti, saepius illi-
co supervenit. Quod autem phaenomenon
nemo omnium, ut opinamur, ab ullis aliis,
nisi vasis supra memoratis, acceptum esse re-
ferri voluerunt.

HOFF. Ill. eandem sententiam perluben-
ter amplexus est; ipse enim, in capite de Ca-
chexia uterina, eorum opinionibus, qui ex
lacunis penitus quasi derivatum esse cense-
bant, primo expositis, ita ait: " Verum e-
nimvero, utut relaxatae hae glandulae stilla-
re possint humorem paulo copiosorem, neu-
tquam tamen hae ipsae unicam et genuinam
fluoris albi sedem constituunt, sed longe plu-
res dantur meatus e quibus materia fluoris
albi, nec non liquoris serosi impuri in puer-
peris, cum et post lochiorum fluxus manan-
tis, ortum trahit." Et rursus, in sectione se-
quenti, " Nil itaque est dubii quin, per ea-
dem vasa, vias et poros fluxus materiae mu-
cidae contingat, e quibus ipse menstruus san-
guis fertur."

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

HÆ omnes fortasse ad potentias debilitantes merito referri possint; quae denuo vires suas vel magis generaliter vel magis topice praecipue exferunt.

CAUSÆ leucorrhoeæ generales sunt,

FRIGORIS vires cum uligine conjunctae, quae ad tonum fibrarum imminuendum quam maxime valent. Hinc itaque curæ, quaecunque in regionibus frigidis atque humidis vitam degunt, praesertim in tempore autumnali, postquam calores aestivi ferverescere cessaverunt, et imbres e coelo descendere inceperunt, huic malo magis obnoxiae sint, clarius patebit. Idem quoque phaenomenon frequentius occurrit, si sedes istae humidae ne zephyris quidem amantissimis refocillantur. Porro, ignavia, somnique indulgentia nimia, ad morbum inducendum speciatim proclives sunt; quippe quae non tantum ad systematis vigorem magnopere diminuendum valent, sed plethorae etiam generationi

generationi occasionem praebent. Quae cum conditione hocce malum timendum haud raro stipatur. Exinde forsitan in oppidis populo frequentioribus, magis quam in rure, sese manifestiorem reddit.

IN hoc itaque numero causerum, diaeta tenuis, aquosa, concoctuque difficilis, procul dubio comprehendi possit. Inter plerosque scriptores conceditur, multa esse edulia, quae, ut in ventriculo rite subigantur, minime admittunt; unde ad sexum dulciorem fovendum penitus inepta fiunt. Talia sunt, ut aiunt, olerum leguminumque cohors, aliaque id genus. Sub hoc capite quoque iis comprehenduntur pisces testacei, sicuti cochleae, ostreae, muscoli, &c. Sed minime dilucidum nobiscum est, an ita se res habeant. Imprimis, etenim, fluor albus nullatenus tam frequenter plebeculam quam primarias faeminas infestat. Certissime autem, omnibus ferme regionibus, plebeculae diaeta vegetabilis est. Secundo, faeminae quae juxta mare habitant, et pisces praecipue comedunt, haud leucorrhoeae singulatim obnoxiae sunt. Ulterius,
cibi

cibi seu potus intemperantia, e. g. alimenti plus fatis devoratio (etiāsi in seipso qualitate benigna sit indutum) quam quod vires coctrices subigere queant; vel usus quoque conditorum, seu liquorum spirituosorum, immodice indulfus, aequē ad morbum creandum apta videntur.

OMNIA praeterea medicamenta iterum iterumque deglutita, quotquot ad systema debilitandum spectant; nempe purgativa drastica; opii usus nimis longe protractus; secretiones excretionēque variae retardatae, aequē ac evacuationes copiosiores; balnei tepidi abusus; et sudatoria crebrius usurpata; potentiis iisdem nocivis pergauident. Hanc ob rationem, cur frequentius quam inter alias apud Batavas morbus iste grassatur, haud difficile erit explicatu. Praeter causas supra enumeratas, animi affectus perplurimae, scilicet, sollicitudines anxiae, moeror, atque timor, ex promptu offeruntur.

INTER vires magis topice debilitantes, ad leucorrhoeam formandam efficaces, tam
mensium

menſium obſtructio, quam fluxus plus juſto copioſus, palſam praeripit.

PURGATIO enim menſtrua, quo, ut ſyſtema vigore ſaluberrimo uſque pergaudeat, certis periodis, et quantitate debita, e neceſſario tantum diffluere. E contra vero, eadem exceſſu ſeu defectu peccans, ſive ex perfecto impedita, ut morbi quam plurimi crudeles ſeſe exhibeant, pro cauſa ſit. Ex quo etiam fonte fluor albus crebrius oriatur.

MENSIUM fortaffe obſtructio oeconomiae atoniam ex toto, cum plethora eodem tempore ſtipatam, inducat; dum, in organo uterino, ſtriſtura vaſculorum extremorum ſpaſmodica occurrat; quare contra vim, quo ſanguis per vaſa propria propellatur adeo repugnatur, ut ne idem penitus quidem pervincere queat; et exinde materia tantum ſeroſa eliminatur. Fluxus copia nimis magna effuſa haud tantum ſyſtema in genere debilitat, verum enimvero vaginam uterumque praecipue imbecilles reddere videtur; ita, poſt unamquamque eruptionem, oſcula vaſorum
adeo

adeo patula relinquuntur, ut meatus partibus fluidorum tenuioribus facilius detur.

VENERIS indulgentia immodica, et cogitationes impudicae, inter causas fluoris albi apud auctores saepe adnumeratae sunt. Sed injuria fortasse; rarissime enim prostibulam, et uxores quam virgines minus saepe adoritur. Dorfi quoque distortionem, quae ad leucorrhoeam gignendam vergere noscuntur, ad hoc caput referendae sint. Aequae etiam partus crebri atque difficiles abortionesque huic malo viam sternunt. Et, si Astruccio credamus, mulieres quae in puerpera lactis excretionem cohibuerunt, vel quaecunque ubera infantibus paulo admoventes nimis mature destiterunt, quoque percontant.

DIAGNOSIS.

QUODQUE stillicidium materiae inordinatum, fluor albus in genere denominatur; quare, plurimi ut eodem fluxui fontes dentur, plane

plane apparet. Quandoquidem vero de una tantum specie differere nobis sit in animo; nostram inter et specierum caeterarum nonnullas, aliosque morbos quibuscum confundi possit, distinctionem ut faciamus conari haud abs re erit.

1mo, AB *leucorrhoea ulceroſa* dignoſci poſſit, quia illius materia minori in copia plerumque effunditur.

2do, RARIUS, ni laeſio quaedam utero prius inferretur, et ut plurimum poſt partus difficiles, vel etiam ſi placenta male extracta fuerit, ſeſe exhibet.

3tio, DOLORES leucorrhoeam ulceroſam comitati magis conſtanter uſque perdurant, dum canalis alimentarius affectionibus minus inſignibus ſtipatur.

4to, SYMPTOMATA quae ſuppurationi praecurrunt, prius plus minusve quam ulcera formantur, evidentia ſiunt. Nonnulli fluorem album inter et uteri ulcus ex diverſo materiae habitu diſtinguere periculum fecerunt. In *hoc* materiam purulentam, in *illo* vero albidam tantum mucoſam, emitti dicunt.

Quum

Quum autem notae nullae fatis certae occurrunt, quibus unum ex altero statu accuratius distinguere possimus, et, quum frequentius commisceantur, signum tale fallax forsitan omnino evadit. Si materia speciei nobis nunc tractatae acrimonia quam mordaci abundaverit, ulcuscula saepius quam in genere suspicatur obtinere censemus; quum vero inflammationis paululo tantum praegresso adnascantur, et remediis, quae ad morbum sine id genus affectibus amovendum usurpantur, pergaudeant, in silentio forsitan praetereunda sint.

Leucorrhœa Fungosa.—*Imo*, Hocce utique in vitio, materia parce, constanter, et frequentius, cum sanguine simul permixta diffluit.

2do, TUBUS intestinalis paulo vel forsanne omnino quidem doloribus turbatur.

3tio, CERVIX quoque uterina, digito explorata, tactui dura atque inaequalis perfen-

titur; et fungositates ex eadem subortae,

C

quae

quae ut facilius dilacerentur admittunt, faepissime quoque percipiuntur.

Leucorrhoea Cancrofa.—CUI uteri conditioni, sanguinis effluxus severi, cum quodam doloris gradu comitati, saepe praegrediuntur.

2do, MULIERES potius aetate provec-
tiori, seu quaecunque partus quam plurimos
expertae sunt, praesertim adoritur.

3tio, ÆGROTA, si per aliquod spatii substi-
terit, doloribus tandem severissimis excrucia-
tur, qui itidem, ventre quodammodo com-
presso, acerbiores evadunt.

4to, MATERIA quoque effusa colore sub-
fusco imbitur, ex qua odor toleratu difficilis
exsurgit.

Leucorrhoea Americana nostra cum spe-
cie ad amissim congruere videtur, ut-
pote conditioni vasorum laxae atque debili
debetur.

Leucorrhoea Schirroides.—HOCCE vitium
fluxibus mensium anomalis nonnunquam
stipatur, quae colorem, aquae quasi perfimi-
lem

lem in qua carnes percrudae antea perlautae fuerint, induunt: Menses doloribus quoque feveriffimis raro nunc temporis eliminantur; diversis autem temporibus diversi fiunt; secundo die adaugent, tertio vel quarto evanescent.

2do, EANDEM quoque vigiliae ferme continuae, aurium tinnitus, crurum tumores oedematosi, animique dejectiones, insigne comitantur.

3tio, PATIENS, inquietudine multum turbata, latere ex alio in alterum perpetuo sese convolvit; et, uterum quasi pollice vellicari, videtur.

4to, PRAETEREA, uterus ambitu auctior, ponderosior fit.

DE hisce tamen signis, quippe quae ex Sauvagesio praecipue detrahuntur, an satis dilucida sint, aliis ut judicetur relinquitur.

NONNE itaque hae leucorrhoeae formae, scil. fungosa, cancrofa, et schirroides, uti ulcerosae fortasse sequelae potius considerandae sint?

Gonorrhoea.—BAGLIVIVS, in Praxi medica, lib. ii. cap. viii. signum, quo mala inter se differentia dignoscantur, nunquam quidem fallens adferre conatur: Cujus verba sunt, ‘Pete a muliere, an tempore menstrui fluor ille albae materiae adsit? Si dicat quod sic; significato eidem, quod morbus a quo divexatur sit gonorrhoea Gallica; si vero, durante menstruatione, fluor albus evanescat, et, eadem finita, denuo regrediat, pro certo habeas, mulierem fluore albo uterino laborare.’ Minime tamen inter eum et nos exactim convenit: Materia enim gonorrhoeae cum purgatione menstrua adeo perfecte commisceatur, ut ne vix quidem discerni queat. Quare, si juxta ejusdem observata peragere voluerimus, difficultatibus periculosioribus saepe e necessario involveremur. Symptomata itaque quae, ut diagnosi certius dijudicetur, commensurare tentandum est.

Imo, GONORRHOEAE stillicidium minus in quantitate, minusque in principio glutinosum, ejicitur.

2do,

2do, DORSUM, lumbi, atque tubus intestinalis, cruciatibus minus acerbis quoque anguntur; facies haud pallore suffunditur, nec corpus debilitate confractum est.

3tio, IN leucorrhoea, minus vehementer urina ardescens, in morbi stadio tantum proVectiori, quando cutis partibus affectis ex plano detrahetur, sese ostendit.

4to, MATERIA, ac in gonorrhoea, minus subflava conspicitur. Omnibus attamen hisce symptomatibus, etiam simul perpenſis, ut semper innitemur minime oportet: Praefertim, quum ex hujusmodi errore, cum aegrotae sanitas, tum medici fama, quam maxime periclitarentur. Cum Riolano itaque consentimus, mulierem prudenter percontari, quo, ut rem totam bona fide confiteatur, ne medico (quod nimis frequenter accidit) fluxum usitatum esse dicendo, verba facilius daret. Ulterius, (si nupta fuerit), maritus, utpote qui ambigua quaelibet enodare aptior erit, interrogaretur. Quando tamen istiusmodi suspiciones, ne causa quidem iusta innixae, quo ut medicus parvi tantum momenti

menti postea pendeatur, vergunt, summa cum cautela, summaque cum prudentia, percontandum est.

PROGNOSIS.

NIHIL certe dubii est, quin symptomata unaquaque in morbo occurrentia accuratius perpendenda sint, quo ut de lethali ejusdemve eventu felici perfecte judicetur. Etiam si leucorrhoea exitium rarius sola secum adferre notetur; tamen, (uti in historia supra memoravimus), viam, quo alia vitia diris effectibus stipata suboriantur, saepissime sternit. Si morbus haud diutius subsisterit, dum anorexia, doloresque diversi, &c. minime violentius urgent; si materia quantitate moderatiori effluere pergit; si aegrotata juventute pergauget, haud multum quoque redacta; et si menses stadiis semper exactis regrediuntur; spem eundem sanandi indulgere liceat. E contrario, jam forsitan inveteraverit morbus, et vires systematis, tabe partes

tes corporis diversas eodem tempore pertentante, multum adfrangentur; ejusdem fortitan quoque origo, ex causis potius organum uterinum adfligentibus, quam ex nonnaturalium abusu, petenda videatur, et functiones ad vitam conservandam directius inservientes quam plurimum imminuantur. In hocce certe rerum articulo, prognosin summa cum cautela enunciari oportet, ni quod ne penes quidem sit medicamenta absolvere polliceamur.

NONNULLAE sint puellae formosissimae, quae, etiamsi gressu mitiori utique procederet morbus, minus solito nunc nitidas sese reperiennes, animis tandem deprimuntur; quod haud parvum periculi pro certo denunciat: Systematis enim atoniam suffulciat, et magno sit impedimento quo minus remedia suos bonos effectus ederent.

PORRO, quandocunque leucorrhoea per longum invaluerit tempus, ulcera uterive canceres haud injuria timendi sint, qui iidem ortum febribus hecticis praebent, et aegram ad funus tandem convolvant.

QUOD

QUOD fluor albus contra pregnantiam fa-
viter ut plurimum contendat, a primo artis
medicinalis instituto ferme adnotatum fuit :

‘ Quae praehumidos habent uteros, grvida-
‘ ri nequeunt ; extinguitur enim in ipsis ge-
‘ nitura.’ *Hip. sect. v. aph. 42.*

PRAETEREA, omnes quaecunque leucor-
rhoea laborant, etiam si iisdem conceptus fa-
verunt, ad aboriendum, ex levi quavis causa,
valde in proclivi sunt.

VASCULORUM enim connexus uterum
inter et placentam, quibus graviditatis pro-
gressus praecipue inniti videtur, adeo, ob
partium debilitatem, imbecillis redditur, ut
sanguinis in vasis uterinis impetu paululo
tantum adaucto facilius superetur.

RATIO MEDENDI.

FLUORIS albi curatio in duas partes ul-
tro sese divisam habet :

I. CAUSA, si fieri possit, ex certo amoven-
da sit.

II. SYMP-

II. SYMPTOMATA urgentia, si ad curationem perfectam vix attingendum sit, mitigare necessarium omnino erit.

UT indicatio prima rite perficiatur, ab idoneum utero tonum restituendo incipendum est.

A. Hoc fortassis uterum imprimis corroborando fieri possit; scil.

a. Vascularis ejus constringendis. Cui etiam intentioni accommodari videntur

Injectiones adstringentes,

Fumigationes, cortex quercina externe adhibita, &c.

b. ALIUD forsitan vim sanguinis ab utero derivando obtinendum est. Quod ad idem efficiendum pertinet,

Vomitoria lenissima,

Laxativa ac etiam diaphoretica mitiora, quam maxime respondent.

c. TERTIA pars a vascularis uterinis stimulis deduci possit, scil.

Cantharidum usu.

B. SYSTEMATE in genere confirmando, medicamentis internis, nempe,

D

Cortice

Cortice Peruviano,
 Chalbyeatis, atque
 Cibo generosiori.

Ad eundem quoque scopum remedia externa,
 scil.

Lavatio frigida atque
 Exercitium, scite spectant.

II. SYMPTOMATA, quae, dum ad curationem perfectam operandam periculum faciamus, ut sublevarentur, postulant, sunt, lumborum atque dorsi dolores; ventriculi ac intestinorum perturbationes; urinae ardor; et, circa partes geniturae externas, pellis detractiones, &c.

DE hisce omnibus nunc itaque in ordine tractandum est,

QUOD ad primum, nempe ut vascula uterina adstringantur, attinet: Injectiones adstringentes, medicos inter plurimos, ad leucorrhoeam curandam utpote admodum idoneae, collaudatae fuerunt; alii vero, contra easdem, quasi damnosas, acriter contenderunt. Et, nostra sententia, rite saepe denegantur:
 Occasionem

Occasionem enim inflammationi, schirris, &c. praebeant. Raro pulchrius respondent; et semper maxima cum cautela tentandae sunt. Si quidlibet commodi ex earum usu sit derivandum, in hisce certe exemplis vasorum uterinorum debilitate innixis, systemate in genere nihilum vel tantum paululum affecto, usurpari optime queant. Etiam si vero nonnullarum modestia, ne talia medicamenta adhibeantur, strenue prohibeat, attamen, si applicari possint, haud dubium est quin nonnunquam bonis effectibus quoque stipentur. Iis forsitan, quippe quae ad morbi sedem vix unquam directius adpellantur, objiciendum sit; quod autem minime necessarium esse videtur. Si ad vascula enim subjacentia utique constringenda pollent, uterina fortasse, ex partium vicinarum consensu, in contractionem sese recipiant.

NIHILOMINUS, ex plano concessio, quod tales effectus ne quidem edantur; certissime tamen, cum uteri stillicidio fluxus ex glandulis vaginalibus mucosus quoque conjungatur,

gatur, utiles sint; propterea quod ad partes affectas actutum adplicantur.

INJECTIONES sequentes primum locum forsitan tenent; nempe mel rosarum cum aqua aluminosa commixtum, aq. vitriolica, camphorata, &c. Liquores tenuiores addere, ut eae mitiores reddantur haud vero alienum foret. Ut malis, earundem sequellis, quando nimis larga in quantitate injiciantur, obviam eamus, potius minore et saepius repetendae sunt. Remedia quoque ad vaginam per fumigationem transmitti possint; ex qua forma, minus forsitan quam ex injectis, periculi consurgere queat. Hae etiam frequentius administrari debent; et aegrotae diligenter post operationem videndum est, ne frigus contraheret. In hunc itaque finem, olibanum, mastic. myrrh. &c. ferro ignito conspergere, vapores inde emergentes ut in vaginam sese insinuarent, necesse fit. Quarum beneficium experientia Dr Manning fati testatur. Corticis quercini gallarumque decocta ad pubis regionem, quo fluori albo occurrant, aliquando admota fuerunt:

An

An vero quibuscumque virtutibus induta sint, nobis pro certo latet.

b. AD remedia sanguinem ab utero derivare aptissima proxime veniendum est.

AD quod caput *vomitoria lenissima* merito referenda sint. Secretiones enim perplurimas, atque perspirationem imprimis, promovere. Quare, in superficie fluidis cursu liberiori dato, ad circuitum in genere magis acquabilem reddendum valent; et solidorum vim tonicam atque contractilem paululum forsitan adaugent. Praeterea, fordes acerbas quae in hoc morbo facilius gignantur eliciendo, haud inutilia fiunt. Quod ad emeticorum delectum pertinet, forsitan ipecac. seu tart. emet. parvis in dosibus administrata, quam bene respondent. *Laxativa* e necessario saepissime usurpanda sunt. Haud tantum circuitus aequilibrium ex utero in canalem alimentarium perfectius avertant; verum enimvero intestina sordibus, quae iis forte adhaereant, expurgare possint. Haud abs re erit tamen observare, quod cathartica drastica minime exhiberi debent; quippe quae ad
systematis

systematis debilitatem augendam magnopere perpollent : Nec mitiora nimis frequenter reiterare oportet. Rad. rhab. propter amaritudinem vimque suam astringentiam, caeteris ut plurimum antefertur. Sive in tinctura, sive in pulvere, aq. cum cinnamomi paululo permixta, quo ventriculo facilius divinci possit, deglutatur. Si materia autem, e vagina ejecta, acrimonia multo mordaciori abundaverit, parvam calomeli quantitatem una cum dosibus singulis si permisceas, haud male feceris. *Diaphoretica.* Haecce vires suas, sanguinis impetum ab visceribus avocando, praecipue exserunt : Attamen, si nimis longe continuantur, oeconomiam ut plurimum imbecilliores relinquunt ; quamobrem, fere omnes quae nunc hodie in usu sunt, plus mali quam boni secum adferre censemus. Si vero nonnullis hujusce classis medicamentis juxta modum dieteticum uteremur, haud inutilia fortasse forent ; e. g. aegroti decoct. lignor. paululum in aq. calc. quotidie perbibat. *Venaesectio* ad idem quoque caput redigenda fit. Si patiens habi-

tu

tu plethorico pergaudeat, et morbus haud diu subſtiterit, et ex menſibus potius obſtructis, vel caſibus externis, ſcil. dorſi diſtortionibus, originem traxerit, maxime haud dubio pervalebit; nihilominus, plerisque in exemplis vix admitti poſſit. Æque hoc in loco fontanellae, &c. ſeſe offerunt, et, nonnullis in caſibus, uſui forte ſint.

c. DENIQUE, de vaſculis uterinis ſtimulandis ut dicam, ſupereſt. Hoc remediis, quae, vires ſuas in uterum ne admodum quidem edentia, ad viſcus quoddam vicinum adpelluntur, fortasſe perficiatur; et exinde ſtimulus ad vaſa uterina cito propagari poſſit. Ex omnibus forte medicamentis, in hunc finem propoſitis, plus laudis cantharidibus debetur. Effeſtus enim earum mirifici, in veſicam urinariam, ut quaſi a priori ad vaſa uterina nonnullo in modo conſtringenda, idoneas eſſe nobis perſuaderent. Utcunque muneribus ſuis fungantur, tinct. canth. haud parvo cum commodo ad leucorrhoeam amovendam, ſaepiſſime multis medicis uſurpatur. Nonnulla quoque baſama, ſcil. co-
paibae,

paibae, terebinth. &c. hic locum merito sibi arrogant.

BENEFICIUM ex vesicatoriis subortum, ad regionem lumborum applicatis, in menorrhagia passiva efficit ut dubium, an non aeque in fluore albo utilissima sint, nobis restaret.

B. SYSTEMA in genere corroborare,

Remediis scil. internis.

Ex vegetabilibus, remedia quam plurima in fluore albo ferme ad sidera sublata fuerunt. Satis erit pauca de cortice Peruviano forsan proferre, qui merito, ut putemus, inter optima atque praestantissima censetur. Tota materia medica ne remedium quidem, ad hanc indicationem complendam, magis aptius ostendit.

MEDICAMENTUM sit astringens, amarum, atque aromaticum. Appetitum ergo promovet; et ventriculum ad liquores suos eji-ciendos, et ad contractionem idoneam quoque excitat; quare ingesta, ne diutius ibi remaneant impedita, in duodenum vehuntur, priusquam in stadium fermentationis perniciosum,

ciosum, discedere possint. Tonum intestinorum roborando flatulentiam coercet; motus etiam peristalticos regulares reddit, et irritabilitatem minuendo contractiones eorum spasmodicas tollit, fugatque. Ejusdem praeterea effectus per totum systema late pervagantur. Systematis quoque nervosi mobilitate praesertim sublata, pulsus fortiores, firmiores, et minus frequentiores reddit; dum cordis palpitationes e radice simul tolluntur. Secretiones excretionefque naturales restituit, praeternaturales et morbias cito compescit: Quid multa? viribus systemati restauratis, animum magis placidum atque tranquillum facit.

ADHIBEATUR autem cortex Peruvianus praestantissime in pulverem redactus. Cum vero hunc minus recte ferant quarundam stomachi imbecilliores, hisce plerumque corticis ex aqua decoctum propinari solet. Quando autem virtutes ejus aqua frigida melius extrahi demonstratum fuit, priori modo infusum praestare censeamus; cui spiritus vini pauxillum etiam addatur, quo partes re-

sinosae magis perfecte solvantur, et ventriculo levior fiat. Ex fossilibus, multa tonica atque astringentia in fluore albo sanando laudata sunt. Ita alumen, in haemorrhagiis uterinis, plurimo in pretio passim habetur. Cum sanguine draconis permixtum optime deglutitur, et mirabiles effectus in fluore albo edere dicitur. Complures quoque sales metallici, ex cupro, ferro, et plumbo confecti, vulgo in usu fuerunt. Quum vero talia medicamenta periculum saepe minantur, et remedia nunc forsitan efficaciora habemus, minus frequenter praescribuntur. Sales ex plumbo parati, in habitibus mollioribus, colicos, constrictionesque intestinorum, dolores, contractiones atque tremores membrorum, et haud raro paralyses, producant. Sal cupratum, cum acre simul et irritans sit, vomitum, et nonnunquam ventriculi seu intestinorum inflammationes, promovet.

IDEM attamen aeque sali martis minime objiciendum sit; quia, plerisque in casibus, commodissime (ut opinamur) adhibeatur. Ferrum quoque, vel melius fortasse ferrum rubiginosum,

rubiginosum, fluori albo laborantibus appri-
me convenit. Remedia enim postremo me-
morata, vim tonicam et adstrictoriam pos-
sidentia, organa chylopoetica confirmant, et
robur totius systematis instaurant; unde in-
ter medicamenta ad leucorrhoeam compri-
mendam efficacissima merito enumerentur.
Aquae porro minerales, hoc in morbo, mag-
no cum commodobibuntur. Etiam si earum
virtutem potius ex aëre mutato, exercitio,
populorumque jucundiorum apud Scaturigi-
nes concursu, deduci dicetur; aquae tamen
hae, secretiones apertas fervando, cibi desi-
derium provocando, ac systematis robur in-
staurando, merito collaudatae sunt.

DIÆTA. De medicamentis itaque quae
leucorrhoeae commodius occurrere putantur,
plenius forsan tractavimus. Sed nihili erunt
ponderis, ni diaeta cum usu eorum stricte
correspondeat. Temperantia imprimis neces-
saria esse videtur; vix enim, ne vix quidem
possit, ut vasa tonum proprium unquam re-
cuperent, si ventriculum atque intestina de-
bilitate item oppressa sint, et corpus, ex victu
minime

minime idoneo, plethora exerceatur. Cibus itaque ficcus et nutriens, sed ad coquendum facilis, nec ventriculo gravis, esse debet. In hunc finem, carnes animalium adultorum illis juniorum forte praelucent: Olera, radices, et caetera id genus, faeminis imbecillioribus sunt vitanda; quippe quae concoctu difficiliores evadunt, atque aciditati ac flatulentiae occasionem praebent.

AB pinguibus, scil. oleis, butyro, carnibusque porcinis, aequè cavendum sit; vel parce saltem comedendum est. Caseus quoque, plerumque solutu difficilis, nisi diutius conficiatur, vitandus foret. Diaeta lactea frequenter pulcherrime respondet. Curationes enim perfectas, post tota medicinae cohors frustra tentata fuit, efficere cognita fuit. In potu liquores calidi, scil. infusa theae, &c. sunt fugiendi, qui corpus ut plurimum laxum atque debile faciunt. Coffeae tamen infusiones subinde fumendae sint. Quando indole terris absorbentibus haud dissimili gaudere videntur, utilissimae fortasse forent; praesertim si primae viae aciditate turbentur.

turbentur. Pro potu ordinario, fumatur aqua frigida, quacum vini pauxillum item commisceatur. Vel poculum meri, tum Gallici, tum Lusitani, bis terve in dies fumendum.

REMEDIIIS EXTERNIS.

INTER roborantia porro, lavatio frigida, in morbis laxitate vel debilitate pendentibus, utilissima existimetur; cujus beneficium Baynardii Floyerique auctoritas satis probatum reddit. Per totum enim systema vigorem diffundit, pulsus fortiores reddit, appetitum incitat, concoctionem promovet, mobilitatem diminuit, et aegrotam denique hilariorum facit. Tametsi plurimum utilitatis ex lavatione frigida expectandum sit; nihilominus quaedam peculiaria, ut ante eandem usurpatam adnotentur, sponte sese offerunt. Cavendum certe ne debiliorum corpora temere demergantur: Quoniam superficies subito constrictione afficiatur, et sanguis ad interiora magna vi adpellatur; obstructions

tiones periculosae seu rupturae forte exitiales facile fieri possint. Sensim atque sensim itaque tentandum est; corporis tantum parte, nempe cruribus ad primum in aqua tepida immersa. Quod paulatim augendum est, donec ad perfectam tandem progrediatur, prout vires ferant.

Hoc vero obiter notandum, quia haud paucis nonnunquam noceat: Si utilis fit, patiens paulo post lavationem calore jucunditer candescit; facies, quae inter emergendum pallore suffusa fuit, colorem usitatum cito redipiscitur. Arteriae ictibus fortioribus atque plenioribus pulsant, cui etiam sudoris quoddam haud raro succedit. Faemina igitur, si post emersionem frigore cum pulsu parvo debilique dejecta perhorreat, et animi deliquio languescat, lavationem potius obfuisse quam profuisse, concludendum fit. Praeterea, cavendum est, ne stomacho cibis repleto, vel quando exercitio calefacta sit, id perficiatur, nec diutius in balneo uno tempore remanere oportet.

IMMERSIONE denique in quibuscunque rite peracta, cutis et crines praecipue quam probe et subito linteolis exsiccentur. Vini seu spiritus C. C. pauxillum, aqua commistum, et similia, proprie fumantur. Et exercitatio quoque lenissima, ad systematis reactionem incitandam diutiusque fervendam, plurimum valet.

EXERCITATIO denique rite instituta, ad morbum ex seipsa fugandum frequentius valida fuerit. Istiusmodi fiat, quae ad fatigationem et lassitudinem, qua vires fortassis infringantur, minime procedat.

VARIIS modis adhibenda sit.

SI vero aegrotam vires amiserit, et imbecillis omnino fuerit, ab exercitatione leni atque modica incipere, et ad vehementiorem gradatim progredi, debet. Caveat autem ne cibo repleta, ne vespere coelo existente frigido humidoque id fiat: Pulchrius tempore matutino ut plurimum succedit.

RHEDA per terram accurate laevigatam in primo provehenda sit. Haecce exercitationis

nis forma ex lenissimis fit, et quibuscunque multum cum morbo confractis aptissime congruere videtur.

Si haecce, sensim atque sensim adaucta, robur systemati denuo restituat, ad equitationem modicam, pro re nata, adeundum est. Quibus modis solida simplicia densiora conformentur; robur atque vigor viventibus impertiatur; et, secretionibus serosis expeditis, humiditas supervacanea tollatur. Sanguis per vasa sua liberius atque facilius percitatur; et congestiones sive fugantur, seu ne obtineant impediuntur.

Nonne navibus per aequora provectiones, si commode fieri possint, in fluore albo faciendo magnopere conferant? Quod tonum systematis corroborent, appetitum adaugeant, et fluida ad superficiem advocent, pro comperto habemus. Boni ~~eiusdem~~ effectus, dum in cubili prostrati jacemus, ut usurparentur adhortemur. *antur*

II. SYMPTOMATA urgentia, quando ad curationem perfectam haud immediate attingendum est, demulcere.

IMPRIMIS, per totum morbi stadium alvum subinde laevigare omnino necessarium erit.

SI adstrictoria sit, clysmata identidem injicienda, quibuscum quoddam antispasmodici, nempe asam foetidam, unire forsitan operae pretium erit. Vel tinct. rhei amar. cochleare unum vel duo hora dormiendi, ut opus fuerit, sumantur. Dolor circa lumborum regiones violentius saepe grassetur, quo in casu, linteola in oxycratione immersa, et ad partem affectam admota, optime respondere observata fuerunt. Emplastrum adhaesivum haud suis quoque fautoribus vacat. Emplastrum etiam ex theriaca paratum, nonnullis in exemplis, cum commodo adhibeatur.

SI dolor autem vehementer infestet, et ne aegrotata obdormiret pro obstaculo sit, o-

F

piatum

piatum faluberrime inhauriatur. Pleraeque itidem fluore albo laborantes cardialgia fae-
pissime torquentur; et adeo ventriculus debi-
litatur, ut omnia ingesta indolem acidio-
rem cito contrahant. Hic magnesia alba
parvis in dosibus assumpta insigniter prodest,
et perpaucae guttulae fpt. C. C. ex aquae
poculo, raro ad pyrosin amovendam fal-
lant.

IN loco vini, quando stomacho (quod non-
nunquam accidit) offendat, liquor, *brandy*
dictus, aq. permixtus proprie substituendus
fit.

QUANDO effluxus e vagina humoris par-
tes geniturae externas excoriat, et urina ar-
descat, nitri atque gum. Arab. pulv. paulu-
lum praescribere idoneum foret; et mucilago
g. Arab. quo partes urinam contra materi-
amque muniantur, intra vaginam recte in-
jiciatur. Caveat vero foemina, ne, dum ad
morbum curandum totis viribus intendamus,
ad ludos veneris ullo modo sese addiceret,
quoniam

quoniam ex ejus indulgentia omnia in pe-
jus ruerent.

VESTES quoque panneas propius ad
cutem gerendo sese foveat. Sub cœlo puro
atque sicco etiam commoretur. Quapropter,
pro urbe malevola (si ibi forte se contineat)
rus saluberrimum illico petendum est

T A N T U M.

Quodam ex his indigentia omnia in se
 sua sunt.

Atque quodam ratione rationis
 et rationis se foveat. Sub eodem
 ratione ratio est rationis. Quodam
 proinde rationis (si ibi forte se continet)
 rationis rationis rationis est.

T A M